

## CIRCARIA BRABANTIAE

In Belgio, Ordo noster a cunabulis suis fuit florentissimus, usque in hodiernum diem. Fuerunt ibi usque ad annum 1782 circariae tres: Brabantiae scilicet, Flandriae et Floreffiae, quas singulas separatim tractamus. Omnes tamen Belgii limites longe excedunt, et magna pars earum spectabat ad Neerlandiam et ad Galliam vicinam. Cum vero canoniae Belgii circa multa eandem habuerint sortem, eandemque evolutionem historicam, oportet earum praecipuae, Brabanticae nempe, praemittere brevem conspectum historiae regni illius.

Ante saeculum XVII, Belgium in sensu moderno, ut ita dicam, non extitit. Formavit enim cum hodierna Neerlandia unum corpus, quod vocabatur „de Nederlanden, les Pays Bas“, latine autem „Belgium“<sup>1)</sup>, et quod pertinuit fere ex integro ad Sacrum Romanum Imperium. Divisa erat haec regio in varios ducatus et comitatus, ut Hollandia, Gelria, Brabantia, Namurcum, Loon, Luxemburg et Hannonia. Pars meridionalis paulatim est unita, et saeculo XV sub regno ducum Burgundiae culmen splendoris est adeptata. Episcopatus Leodiensis semper fuit principatus Sacri Romani Imperii. Flandria trans Scaldim, primitus sub ditone gallica, medio aevo paulatim fit sui juris et unitur Belgio. Pars eius meridionalis (Artesia), saeculis XVI/XVII definitive regno Galliae aggregatur. Anno 1556, Belgium traditur coronae Hispaniae, unā cum Neerlandia, quae unio fuit nefasta nimis. Septentrione post diuturna ac cruenta bella a regno et a fide segregato (an. 1579), Belgium solum manet catholicum et hispanicum<sup>2)</sup>. Anno 1714, dominium eius transit ad Austriacos, quibus succedunt Galli, annis 1795—1815, dein Neerlandici, donec anno 1830 constituatur regnum independens. Belgium est bilingue: in aquilone eius, communiter „Flandria“ nuncupato<sup>3)</sup> viget lingua neerlandica, in austro (Wallonia) autem gallica.

1) Ad evitandas tamen confusiones, voces „Belgium“ et „Neerlandia“ adhibemus in sensu moderno.

2) Neerlandia post separationem appellabatur „Provinciae Foederatae“, et gubernium eius „Status Generales“.

3) Flandria in sensu stricto hodie designat duas provincias Belgii (Fl. Occidentalis et Fl. Orientalis).



Divisio ecclesiastica ante saeculum XVI erat plane deficiens. Intra fines hodierni Belgii duae tantum dioeceses exsistebant: Tornacensis scilicet et Leodiensis, quibus accedebat in Neerlandia sola Ultrajectensis. Magna pars Belgii et Neerlandiae spectabat ad episcopatus in Gallia et in Germania sitos: nempe ad Monasteriensem, Osnabrugensem<sup>4)</sup>, Trevirensis, Coloniensem, Taruanensem<sup>5)</sup>, praesertim vero ad Cameracensem, cui obediit tota fere Brabantia, immo et pars Zelandiae. Filius Caroli V, Philippus Rex, impetravit a Summo Pontifice anno 1559 creationem quatuordecim novarum dioecesium. scilicet Groningen, Leeuwarden, Deventer, Haarlem, Middelburg, 's Hertogenbosch, Roermond, Antwerpen, Mechelen, Gent, Brugge, Ieper, Namur. Dioeceses in Neerlandia sitae mox interierunt, et partim tantum, anno 1853, sunt restauratae: Haarlem, Utrecht, s' Hertogenbosch et Roermond, quibus accedit Breda. Ex sedibus Belgicis, concordato gallico anni 1802 Antwerpiensis et Yprensis sunt suppressae.

Ex quo conspectu patet, historiam Belgii fuisse satis turbulentam. Utpote situm inter tres magnas nationes, Germanos etenim, Gallos et Anglos, omni saeculo fuit bellis inquietatum et devastatum. Tanto magis est stupendum, monasteria semper ibi floruisse, ut vix alibi. Mens populi eius est recta, ordinata, laboriosa et firmiter christiana, ideo numquam lethaliter ibi elanguit status religiosus, immo plus semel e Belgio processit reformatio et renovatio illius in alias nationes.

Circaria Brabantiae, quae erat praecipua omnium in Belgio et Neerlandia sitarum, se extendit ad Belgium linguae neerlandicae, dempto extremo occidente, et ad Neerlandiam, demptis pariter provinciis Frisia et Groninga<sup>6)</sup>. Ante annum 1559, comprehendebat partes dioecesium Cameracensis, Leodiensis, Ultrajectensis et Coloniensis, postea autem Mechliniensis, Antwerpiensis, Buscoducensis, Ruraemundanae et Leodiensis<sup>7)</sup>. Extensio circariae in decursu saeculorum aliquo modo est mutata. Heinsbergense asceterium, saeculo XIII, a Brabantica transiit ad Westfalicam. Canoniae Marienweerd, Berne et Zennewijnen, eodem

<sup>4)</sup> Vide de his dioecesibus, sicut de Leovardiensi et de Groningana, supra apud circariam Frisiae, ad quam solam spectant.

<sup>5)</sup> Gallice Théroutanne. Saeculo XVI divisa est in dioeceses Sti. Audomari et Yprensis.

<sup>6)</sup> De errore annalistae Hugo, totam Neerlandiam fere attribuentis circariae Frisiae, vide supra p. 156.

<sup>7)</sup> Dioeceses Neerlandiae hic praetermittimus, quia vix natae, una cum monasteriis interierunt.

saeculo, ad tempus nomen dedisse videntur Frisiae, ut supra apud hanc circariam fuse exposuimus. Anno 1672, Heylisse; anno 1738, Postel a Floreffia, anno 1718 Tusschenbeek a circaria Flandriae transierunt ad Brabanticam. Decem abbatiae, quas habuit nostra circaria, omnes erant spectabiles. Middelburg, St. Michael et Tongerloer erant ex maximis et celeberrimis abbatibus totius Ordinis, quae magnas semper partes egerunt in eo. Interdum immo Capitula generalia celebrata sunt in Belgio, ita annis 1397, 1398, 1437 et 1438 Lovanii, anno 1414 Averbodii, annis 1422 et 1442 in St. Feuillien, et Mechliniae anno 1460<sup>8)</sup>.

Systema commendarum post medium saeculum XV coepit pessumdare vitam religiosam. Propagatum est per Nuntium Apostolicum, qui ipse sibi procuravit abbatiam Tongerloensem, praeter quam et abbatiae Sti. Michaelis et Grimbergensis a Curia Romana datae erant in commendam<sup>9)</sup>. Theodoricus van Tuldel, abbas Parcensis, strenue pugnavit contra hunc abusum, nomine totius circariae. Romam pergens, inter annos 1462 et 75 abolitionem commendarum impetravit. Commendatarii autem frustrati machinati sunt, ita ut abbas v. Tuldel et conventus Sti. Michaelis anathemate sint plexi; tandem anno 1485 abbas restitutus, et propagatio commendae aversa est. Carolus V. obtinuit a Summo Pontifice bullam, vi cuius ius nominandi abbates ei est concessum. Tamen hoc iure, recalcitrantibus omnibus Ordinibus, non est usus instar regis Franciae, sed placetum regium apud omnes electiones sibi reservavit. Quod placetum<sup>10)</sup> in posterum saepe est recusatum. Cum vero anno 1535 Praemonstratum ipsum factum esset sub commenda, magnam in perniciem Ordinis, Belgicae canonicae recusaverunt oboedientiam, et aspirabant ad separationem<sup>11)</sup>. Anno 1552, Carolus V. adeptus est Breve Apostolicum, quo Ordines in Belgio et in Neerlandia facti sunt independentes a superioribus suis extraneis, et potuerunt formare congregationes nationales. Creata est igitur anno 1572 „Congregatio Belgica“ Ordinis nostri, complectens integras circarias Brabantiae et Flandriae, Floreffiae in quantum erat extra Galliam, immo et circariam Frisiae, tunc in agonia versantem, et

<sup>8)</sup> *Form. Pr.* XIII 260, XV 187, 191.

<sup>9)</sup> Vide A. ERENS, *Thierry van Tuldel (Anal. Praem. I, 1925; 321/57)*.

<sup>10)</sup> Quae placeta, sicut et omnia acta hanc rem tangentia, inveniuntur in AGR Papiers d'État et de l'audience (Enquetes ecclésiastiques), Chancellerie de Brabant, Conseil d'État, Conseil Privé (Vide *Anal. Praem. I* 187/91, II 192, 404).

<sup>11)</sup> Iam anno 1508, quo habebant proprium procuratorem apud Curiam Romanam, abbates Belgii machinabantur separationem (Act. Cap. Gen. Laon p. 97, vide etiam supra apud Circ. Angliae p. 21).

canoniam Dommartin, de jure spectantem ad Pontivum. Abbas Florefiensi factus est praeses congregationis, quae primum et unicum suum capitulum tenuit anno 1572 in Parcho. Secunda pars saeculi XVI tantopere repleta fuit contentione et bellis inter Hispanos et Calvinistas rebelles (Gueux, Geuzen), ut monasteria eo usque prospera, misere sint dilapsa. Omnia fere sunt devastata, exspoliata, partim plane deleta; iconoclastae omnes imagines et sculpturas destruxerunt. Communitates per annos exules vixerunt in refugiis urbanis. Plures abbates et religiosi, nationalismo indulgentes, partes Calvinistarum sunt secuti, et postremo ab Hispanis graviter sunt puniti<sup>12)</sup>. Facile est intellectu, in hisce conditionibus congregationem neoerectam non potuisse florere, ideoque strenuum abbatem Generalem, J. Despruets, post annum 1572 discrete rebelles ad unitatem Ordinis potuisse reducere. Erectio novarum dioecesium attulit Ordini detrimenta, quia abbatiae divites sunt assignatae illis in dotationem. Quare circaria nostra amisit abbatias suas maximas: Middelburg enim et Tongerlo. Prima paulo post ab haereticis est consumpta, secunda post tria decennia incorporationem infaustam potuit avertere. Exeunte saeculo XVI, haeretici in Neerlandia definitive praevaluerunt, et monasteria sunt ibi exstincta, praeter abbatiam Bernensem et asceterium Oosterhout, quae inter aerumnas maximas per tria fere saecula vitam continuarunt<sup>13)</sup>. In austro autem, cui adjudicatum fuit tunc et Limburgum neerlandicum, res catholica evasit victrix, et ideo a saeculo XVII monasteria Belgii, et praesertim nostra circaria Brabantiae, inauditam noverunt prosperitatem. Duae tantum circariae in Ordine tunc ei potuerunt aequiparari quoad fervorem: Bohemia et Suevia. Maximam partem contulit Brabantia in reformationem et renovationem Ordinis hoc saeculo; nova Statuta et Liber Ordinarius in sinu eius sunt redacta, fundatum est ab ea Collegium Ordinis Romae cum residentia Procuratoris, emissi sunt canonici eius ad reformandas et relevandas circarias in Germania<sup>14)</sup>.

<sup>12)</sup> cf. E. VALVEKENS, *De St. Michielsabdij te Antwerpen vanaf 1564 tot 1596*, art. citatum infra.

<sup>13)</sup> Berne, licet sedem suam habuerit de facto in Vilvoorden annis 1657—1797, semper est considerata ut „corpus hollanicum“.

<sup>14)</sup> Aliqui canonici missi sunt in Steingaden et in Neustift, alii anno 1629 de rogatu Casparis de Questenberg, abbatis Strahoviensis, in Saxoniam ad resuscitandam ibi circariam Ordinis (vide Chronicon Masii, AAPa, ad an. 1629). Joh. van den Bossche, canonicus Parcensis, una cum coetu canonicorum inde profectus est in Lorsch tamquam praepositus anno 1631 (vide vol. I 108), P. Laurentius de Coquiel, canonicus Sti. Michaelis, factus est praepositus in Schäfersheim (BGHB I 463).

Tamen affectio ad archicoenobium mox denuo refriguit. Iterum in commendam redactum Praemonstratum, traditum est Cardinali Richelieu, cuius auctoritatem Brabantici numquam recognoverunt. Successor eius Gosset, anno 1656, duritia sua imprudenti animos abbatum Belgii definitive a se alienavit<sup>15</sup>); quae scissio est aucta per bella fere continua inter Galliam et dominatores Belgii. Inter annos 1657 et 1781, circaria Brabantiae unum tantum celebravit capitulum provinciale. Tamen optime floruit et per integrum saeculum XVIII. Cum vero Josephus II, anno 1781, denuo erexit Congregationem Belgicam Ordinis — submissa solis ordinariis, suppressa exemptione —, nullus ex abbatibus protestatus est<sup>16</sup>). Et hac vice abbas Floreffiensis electus est praeses. Idem Josephus Imperator, anno 1783, omnia asceteria suppressit praeter duo; anno 1789, etiam abbatia Parcensis est dissoluta. Anno sequenti, in revolutione Brabantica, in qua Praemonstratenses magnam habuerunt partem, Parcum reffloruit, sed Galli ab anno 1793 irruentes, et postremo Belgium occupantes, monasteria oppresserunt quam maxime, et annis 1796/97 ea suppresserunt cuncta. Sicut in Gallia ipsa, omnes aedes, saepe una cum ecclesiis, sunt venundatae, et pluries statim solo aequatae. De restauratione Ordinis saeculo XIX, vide infra.

Quoad moniales, circaria Brabantiae, saeculis XII et XIII, ad amissim decreta Capitulorum Generalium est secuta. Monasteria duplicia generatim paulo post annum 1140 sunt suppressa, et sorores in decursu saeculi alibi collocatae. Apud complures canonias tamen, de translatione sororum nihil authenticè constat, ita apud Parchum, apud Bernam et apud Middelburg. Dilighem, anno 1140 fundata, numquam videtur habuisse sorores. Ab anno circiter 1200, abbates circariae de sororibus non amplius videntur curavisse. Mens eorum fuit exstinctio completa parthenonum, quibus novitias assumere inhiuerunt. Ita communitates paulatim sunt exstinctae, nisi forte ad alios ordines transierint<sup>17</sup>). Si nihilominus aliqui parthenones huic crisi saeculi XIII fuerunt superstites, hoc debetur conditionibus omnino peculiaribus. Catharinadal, Herenthals, Leliendaal, Koningsveld et Gempe fundati sunt a personis Ordini alienis, contra

<sup>15</sup>) Vide P. LEFEVRE, art. infra citatum Anal. Praem. IX 1933, 247/72.

<sup>16</sup>) Statuta istius Congregationis habentur in AAA

<sup>17</sup>) Quod videtur accidisse in Vrouwenpark, de quo vide infra apud Parcum. et forte etiam in Orienten. Asceterium illud Cisterciense, situm in parochia Rummen Averbodio incorporata, fertur esse ortum ante annum 1234, ex communitate quadam dicta „Sorores Dominorum Averbodiensium“. (ESchBr XXXIV, 1951, 3) — Videntur abbatiae nostrae hoc saeculo interdum partem sororum suarum dimisisse, ad diminuendum paulatim numerum earum.

voluntatem illius. Abbates fere semper initio recusaverunt has communitates recognoscere, vel tutelam earum assumere, et ideo, saeculo XIII, fundatores adierunt Praemonstratum ipsum, quod reapse plura earum adoptavit in filias. Vallis Stae. Catharinae, Vallis Liliorum et Zennewijnen<sup>18</sup>) in omnibus catalogis inseruntur ut „filiae Praemonstrati“. Origo asceterii Zoetendaal tenebris est obvoluta, videtur fuisse compromissum inter abbates Middelburgensem et Sti. Michaelis, qui forte sororibus suis in unum locum coadunatis, continuationem communitatis tandem aliquando permiserunt. In Gempe et in Keizersbosch institerunt familiae fundatorum et benefactorum, ne asceteria exstinguerentur, utpote sibi ad filias suas collocandas, et in loca sepulturae utilia. Fundatio asceterii Koningsveld videtur fuisse casus satis intricatus pro patribus circariae, sed amitae regis vix aliquid potuit negari! Saeculo XIV, asceterium paenitentium Stae. Magdalenae Noviomagi, Ordinem nostrum sua sponte ac, ut videtur, illo inconsulto, est amplexum.

Ulterior evolutio parthenonum pariter fuit diversa. Aliqui, ut Vallis Stae. Catharinae et Sta. Magdalena Noviomagi, diu de Ordine non curaverunt, nec probabiliter vice versa. Non habuerunt praepositos nec de facto Patres Abbates ex illo. Saeculo XIII, in omnibus ceteris asceteriis invenimus praepositos tum ex una, tum ex alia abbazia circariae, qui probabiliter a monialibus libere erant electi. Paulatim vero invaluit mos praepositum eligendi ex una sola abbazia, quae postremo practice paternitatem exercuit. In Keizersbosch, Herenthals, et ab anno 1687 in Gempe, praepositi erant ad nutum Patrum Abbatum. Asceteria nobilia (Koningsveld, Zennewijnen, Keizersbosch ante an. 1618) vixerunt minus ordinate, ad morem domuum similis generis in circaria Westfaliae, quarum nonnullae (Houthem, Bedburg, Heinsberg) non longe distabant. Clausura, et votum paupertatis ibi vix observabantur. Leliendaal semper mansit, ut Heinsberg, vera praelatura sui juris, cuius praepositus libere eligebatur a monialibus. In Valle Stae. Catharinae, numquam suppressa, status primaevus asceteriorum Ordinis nuper est restauratus.

Omnes abbatae circariae nostrae habuerunt saeculo XII, curias multas, a conversis excultas. Dum in circaria Frisiae hoc systema vixit usque in finem, Brabantia huic in decursu saeculorum XIII/XIV iam derogavit. Curiae dein locatae sunt laicis, etsi hinc inde adhuc per saecula excole-

<sup>18</sup>) Hoc asceterium ab abbate Insulae B. M. V. videtur fuisse destinatum ad extinctionem. Subiectio sub Praemonstrato videtur fuisse in connexu cum transitu decem monialium ex Füssenich, qui Sinum Stae. Mariae languentem denuo vivificavit.

bantur a canoniis ipsis<sup>19)</sup>; conversi autem, pauciores numero, restricti sunt ad famulatum in monasterio. Una tamen ex curiis, Postel, tanti erat momenti, ut excreverit in abbatiam, et aliae, partim in memoriam pristinae amplitudinis, in posterum retinuerunt titulum „prioratus“, vel „Praepositurae“, etsi ab uno canonico tantum essent habitatae<sup>20)</sup>. In circaria nostra divisio mensarum, mature introducta, generatim saeculo XVI iam erat suppressa. Provisor exteriorum, antiquitus vocatus „praepositus“, administrabat mensam abbatis, dum cellario erant commissa bona conventualia. Vix in alia circaria canonicae tot et tam ampla habuerunt refugia in civitatibus, non tantum vicinis, sed etiam longinquis, quam in nostra<sup>21)</sup>; quod valet etiam de hospitalibus et xenodochiis. Casus singularis est Hospitale Delftense, ubi per saecula serviebant conversae Ordinis.

Quoad curam animarum, et parochias administrandas, nulla circaria in Ordine aequabat Brabanticae. In Belgio, Ordo administravit 172 ecclesias parochiales<sup>22)</sup>. Campinia, regio extensa in aquilone Belgii, fere tota usque ad revolutionem gallicam, evangelizabatur a Praemonstratensibus. Saeculis XVII et XVIII, non tantum Berna semper subsistens, sed et canonicae in Belgio sitae, multis parochiis serviebant in Neerlandia meridionali — ubi tunc cultus catholicus erat suppressus — et ita multum contulerunt ad servandam fidem catholicam in illis regionibus. Etsi cura animarum in parochiis ruralibus semper fuerit praestantissimum opus canonicorum nostrae circariae, tamen scientiae et studia non fuerunt neglecta. Ex medio aevo perpauca quidem nomina scriptorum nobis sunt

<sup>19)</sup> Curia abbatiae Ninivensis in Wolputte-Meerbeek usque ad annum 1693, curia „De Greef“ in Calmpthout, ad Tongerloam spectans, ad saeculum usque XVIII a canoniis per provisorum ibi residentem excolebantur.

<sup>20)</sup> Ex quo orta est hinc inde opinio erronea, has domus fuisse vera monasteria. Confer quod dicimus infra apud dubiis et praetermissis, praesertim apud Kessel.

<sup>21)</sup> Postel habuit v. g. refugium in longinquo oppido Emmerich in Germania.

<sup>22)</sup> Vide elenchum *Anal. Praem.* VII (1931) 214/15, et ERENS, *Parochiezorg.* Averbode et Tongerlo, solac. exercuerunt curam 100 000 animarum! (ERENS o. c. 168). In Belgio, abbates praesentarunt canonicos suos episcopis, qui collationem parochiarum fecerunt. In dioecesi tamen Leodiensi, collatio parochiarum fuit penes archidiaconum, collatio vero capellarum filiali fuit ad discretionem abbatis. In Middelburg collatio fiebat potius ad normam Frisonum (v. supra apud Circ. Frisiae et infra apud illam abbatiam).

tradita, subsistunt tamen varia scripta eorum<sup>24</sup>). Inde a saeculo XVII, spiritus literarius increvit, et invenimus multos scriptores asceticos et historicos interdum spectabilis momenti, ut abbates J. Chr. v. d. Sterre (Sti. Michaelis), A. Wichmans (Tongerloensis), L. de Paepe (Parchensis), praepositum B. Mudzaerts (Leliendaal), canonicos C. de Hertoghe (Sti. Michaelis, † 1668) et A. Heylen (Tongerloo, † 1802). Scriptores saeculi XVII, maximo zelo ferventes pro Ordine, partes suas habuerunt in formanda „nova traditione Ordinis“. Iam Medio Aevo, permulti canonici student in Universitatibus totius fere Europae, sed saeculo XVI circaria fundat proprium collegium Lovanii, et, saeculo sequenti ineunte, alterum Romae.

Maiora adhuc sunt merita Ordinis his in regionibus quoad culturam mere materialem. Ante saeculum XII, planities Flandriae, partim arenosae, partim palustres, fuerant steriles et fere incultae, et incolae ibi erant pauci. Abbatiae Ordinis nostri, quae ibi dominabantur, labore indefesso has terras verterunt in fertiles et habitatas. Quod est et quod habet Campinia, respectu culturae tam temporalis, quam spiritualis, pro maxima parte debet Norbertinis<sup>25</sup>).

Archiva quoad maiorem partem subsistunt. In Belgio, religiosi multa archiva absconderunt, durante revolutione, ideo illis gloriantur hodie abbatiae restauratae. Archiva praesertim Parchense, Averbodiense et Tongerloense sunt pretiosa pro historia circariae et Ordinis. Partim autem archiva harum domuum, sicut et suppressarum, nunc sunt deposita in Archivis Gubernii vel Dioecesium. Archivum Ninivense, extraordinarie dives chartis saeculi XII, eminet aliis; Diligemense econtra, amissum est fere totum. In Neerlandia, de archivis canonicarum nostrae circariae — aliter ac in Frisia —, multa supersunt. Feliciter Bernenses salvaverunt archiva non tantum sua, sed et parthenonum Noviomagensis et Sinus Stae. Mariae, et multa spectantia ad Marienweerd.

Eximia sunt monumenta artis, ex veteri aevo in hac circaria subsistentia. Aedes quidem medii aevi sunt destructae fere omnes; subsistunt tamen canonica Middelburgensis, ecclesia Postulensis, et monasterium Bredanum. Post devastationes saeculi XVI, omnes canonicae sumptuosa erexerunt aedificia in stylo saeculi XVII vel XVIII, quas passim videre est adhuc hodie Vera gemma architecturae est abbatia Parchensis, integre

<sup>24</sup>) Eminent inter illa v. g. Annales Parchenses et Chronicon Balduini Niniensis (vide infra apud dictas abbatias).

<sup>25</sup>) Cf. H. LAMY, *L'Abbaye de Tongerlo*, p. 4, et HEYLEN, *Verhandelingen*, oo. cc.

servata, et pulchrae extant ecclesiae in Ninove, Averbode et Grimbergen. In fine saeculi XVIII, celeberrimus architectus Dewez multas abbatias Belgii, non semper feliciter, transformavit in stylum neoclassicum<sup>26)</sup>.

Talis circaria, sana et vitalis, optimo spiritu religioso fervens, suppressione anni 1797 non potuit submergi<sup>27)</sup>. Ex 800 circiter religiosis circariae, vix decem iuramentum, a Revolutione Gallica impositum, praestiterunt. Religiosi pluries aedes suas et bona, tecto nomine redemerunt, archiva, thesauros et bibliothecas suas absconderunt in loco tuto, contra spem semper sperantes, hanc suppressionem, ab impio invasore impositam, non fore definitivam. Anno 1815, abbates et conventus Averbodii, Bonae Spei, Sti. Foillani, Parchi, Floreffiae, de Heylisse, de Postel, de Grimbergen et de Dieleghem, una cum illis duorum tantum aliorum ordinum, miserunt ad Congressum Viennensem, ut restaurationem legalem monasteriorum obtinerent. Dominationes gallica et neerlandica hanc spem fefellerunt quidem, sed post revolutionem anni 1830, quae Belgio libertatem reddidit, ordinibus et religiosis libertas vitae communis quoque est restituta. Admirabile est, et forte unicum in historia, quomodo tunc senes religiosi, a 33 annis vita claustrali desueti, laete reversi sint ad monasteria sua exspoliata et partim deleta. Tandem aliquando et restauratio illorum canonica successit, et Ordo noster fervore religioso tunc vere praecelluit: ex antiquis abbatibus Belgii cuiuslibet ordinis, annis 1834/40 octo tantum sunt renatae, ex quibus sunt quinque Praemonstratenses circariae Brabanticae! Legislatio liberalis monasteria toleravit quidem, sed non tamquam corpora iuridica; proprietates eorum adhuc per saeculum fere debuit de jure civili adscribi nomini alicuius personae privatae. In Averbodio statim erectus est novitiatus communis; conventuales Tongerloenses et Postellenses, quorum monasteria fuerant alienata, primo alibi se stabilierunt, finaliter post multas difficultates in loca sua potuerunt reverti. Mox resurrexerunt et aedificia deleta.

Tamen status antiquus non est redintegratus quoad omnia. Religiosi iam non favebant dignitati abbatiali cum usu pontificalium, ideo Superiores abhinc rexerunt domus. Antiqua iura beneficialia per concordatum anni 1802 fuerant extincta; canonicae tamen immediate ministerium parochiale multis in locis assumpserunt. Iam post duo decennia manifestant signa vitalitatis suae: anno 1857, Berna restauratur tamquam monasterium in Heeswijk, anno post, Catharinadal fundat novam domum in

<sup>26)</sup> Laboravit annis 1768/79 in Heylisse, 1770/76 in Floreffe, Bonne Espérance et in Dieleghem (ASAB XXXV, 1931, 65/94 et ESchBr 1943, 175).

<sup>27)</sup> Berna et Vallis Stae. Catharinae, in Neerlandia sitae, solae non sunt suppressae.

Neerpelt, et Grimberga, quae iam anno 1849 emiserat missionarios ad Promunturium Bonae Spei, restaurat Ordinem in Gallia (Mondaye). Tongerloa extruit novam ecclesiam vastam. Eodem tempore reformantur statuta et vestitus. Iterum resumitur, ut decuit, dignitas abbatialis, primo Tongerloae anno 1868, dein in reliquis canoniis, anno 1872. Resumuntur pariter, eodem anno, capitula provincialia; circaria Brabantiae restauratur: quod anno 1876 a Sta. Sede confirmatur. Exinde evolutio circariae est mirandae prosperitatis. Tongerloa, quo mox transfertur novitiatus communis, restaurat Ordinem in Anglia ab anno 1872, Averbodium et Parchum fundant missiones in Brasilia anno 1896, Tongerloa autem in Congo Belgico biennio post, quam sequitur Postel. Berna fundat gymnasium anno 1886, et transfert Ordinem in Americam annis 1893/98 (West De Pere)<sup>28)</sup>. Anno 1903, Averbodium fundat missionem in Dania. Eodem anno communitates gallicae, expulsae, refugium inveniunt in Belgio, scilicet Mondaye in Bois Seigneur Isaac, Frigolet in Leffe, et Bonlieu in castro Grimbergensi. Illis post bellum in patriam reversis, Sylva Domini Isaac et Leffia transformantur in abbatias circariae nostrae, annis 1924/31, et ita restauratur Ordo in terra wallonica. Anno 1922, Averbodium fit ad tempus sedes Abbatis Generalis; anno sequenti, Berna fundat missionem in India, et restaurat abbatiam Windbergensem in Bavaria. Anno 1928, Vallis Stae. Catharinae denuo subditur iurisdictioni Ordinis, et fundat, triennio post, asceterium Petropolitanum in Brasilia. Multiplicantur foundationes scholarum, operum piorum, prioratum, missionum, et numerus religiosorum fere ubique longe exsuperat id quod erat ante perturbationem gallicam. Iure merito, circaria nostra, antiquo splendore recuperato, hodie dici potest potentissima Ordinis.

N o t a

Nuper introducta est nova orthographia pro lingua neerlandica, quae se in Belgio etiam extendit in nomina geographica, non vero in Neerlandia. Propter uniformitatem, et ne oriatur confusio apud externos, huius idiomatis generatim ignaros (bibliographia et fontes enim fere ex tot adhuc habent veterem modum), et nos quoad nomina Belgica veterem orthographiam retinemus. Scribimus ergo Tongerlo, Tussenbeck, Peteghem (loco Tongerlo, Tussenbeck, Petegem).

---

<sup>28)</sup> Hanc abbatiam, sicut et ceteras domus saec. XIX/XX conditas, tractabimus in appendice nostri operis.

VISITATORES ET VICARII ABBATIS GENERALIS CIRCARIAE  
BRABANTIAE SAEC. XVI—XX<sup>29)</sup>

(Acta Cap. Gen. Laon, AAA)

Abbas Cuissiacensis 1498	Gregorius Piera (Tongerloo)
Abbas Generalis 1499—1502	1709—23
Abbatess Sti. Michaelis et Parcensis 1503—04	Josephus van der Achter (Tonger- loo) 1724—45
Abbatess de Braine et Sti. Andreac in Nemore 1505	Alexander Sloomans (Parc)
Abbas Generalis 1506—11	1746—56
Abbas Sti. Martini Laudunensis 1512	Joh. Bapt. Sophie (Grimbergen)
Abbas Generalis 1513—34	1756—75
Abbas Sti. Martini Laudunensis (cum potestate delegandi) 1535/ 44 <sup>30)</sup>	Ign. du Rondeau (Grimbergen)
Abbas Floreffiensis 1561	1777—78
Abbas Generalis 1574	Trudo Salé (Averbode) 1780—82
Franciscus v. Vlierden, Abb. Par- censis 1584—1601	Joh. Bapt. Dufresne (Floreffe), Vis. Gener. Congreg. Belgicae 1782/90
Joannes Druys, idem 1601—34	Joh. Chrysost. De Swert (Tonger- loo) 1876—87
Joannes Maes, idem 1634—47	Thomas Heylen (Tongerloo)
Chrysostomus v. d. Sterre (Sti. Mi- chaelis) 1647—52	1887—99
Libertus de Paepe (Parc) 1652—82	Gummarus Crets (Averboode)
Jac. Hroznata Crils (Tongerloo)	1899—1922
1682—95	Hugo Lamy (Tongerloo) 1922—37
Servatius Vaes (Averbode) 1695/98	Henricus Stöcker (Berne) 1937—42
Joh. Chrys. Teniers (Sti. Michaelis)	Emilius Staelmans (Tongerloo)
1698—1709	1942—53
	Emmanuel Gisquière (Averbode)
	1953—

<sup>29)</sup> In circariis Germaniae, de quibus tractavimus in primo volumine, a saeculo XVII, praeses circariae generatim vocabatur „Vicarius Generalis (scilicet Abbatis)“, in circaria Brabantiae vero correcte „Vicarius Abbatis Generalis“ vel „Vicarius“ tantum (cf. Statuta Ord. Praem. anni 1630, ed. Averbode 1898, p. 242).

<sup>30)</sup> Pro annis 1536, 1537, 1540/42, 1545/60, 1562/73, et 1575/83 Acta Cap. Gen. nullum indicant visitatorem nostrae circariae. Licet tamen supponere, hoc munus fuisse demandatum usque ad revocationem, et quidem non ad personam, sed ad abbatiam.

CAPITULA PROVINCIALIA CIRCARIAE  
BRABANTIAE

1620	Parc	1891	Grimbergen
1624	Parc	1900	Parc
1643	St. Michiels	1905	Grimbergen
1656	Parc	1911	Postel
1718	Tongerloo	1926	Grimbergen
1874	Parc	1932	Berne
1875	Tongerloo	1946	Tongerloo
1876	Averbode	Capitula Nationalia Belgii:	
1877	Postel	1572	Parc
1879	Parc	1641	Mons
1884	Averbode	1782	Bruxellis
1890	Tongerloo	1786	Bruxellis

ABBREVIATIONES PRO ARCHIVIS  
ET BIBLIOTHECIS

AAA	Archivum Abbatiae Averbodiensis	AAT	Arch. Abb. Tongerloensis
AAB	Arch. Abb. Bernensis	AGR	Archives Générales du Royaume Bruxelles
AAG	Arch. Abb. Grimbergensis	BRB	Bibliothèque Royale de Bruxelles
AAMech	Arch. Archiepiscopale Mechliniense	RAA	Rijksarchief Antwerpen
AAPa	Arch. Abbatiae Parcensis	RAG	Rijksarchief Gent

BIBLIOGRAPHIA

Bibliographia sequens complectitur totum Belgium, ergo non tantum circariam nostram, sed et canonicas Flandriae et Floreffiae intra fines Belgii sitas. Ea quae ad monasteria Neerlandiae meridionalis attinent, vide praesertim supra pp. 166/75 apud circariam Frisiae. Aliqua ibi ommissa hic infra sunt inserta.

Bibliographia historiae ecclesiasticae Belgii, pro tempore inde a saeculo XII, tam exuberans est, ut eam partim tantum excerpere, et hic infra citare potuerimus, licet propter magnum momentum Ordinis nostri in hoc regno maior pars huius litteraturae aliquo modo ad illum attinet. Invenis integram biblio-

graphiam bene congestam in singulis tomis excellentis operis E. De MOREAU, *Histoire de l'Eglise de Belgique* (Bruxellis 1940/45)<sup>81)</sup>. Etiam bibliographia singularum canonicarum, praesertim actu florentium, longe limites nostri operis excederet, si omnes articulos, in innumeris periodicis divulgatis, insereremus. Ideo praecipua tantum citamus cum titulo extenso, articulos autem minoris momenti summam ad calcem afferimus, citatis, tantum periodico, anno publicationis et paginis. Si plura desideras, consule „Chronicon“ singulorum tomorum periodici „Analecta Praemonstratensia“, et Repertorium L. de WACHTER infra citatum.

FONTES

- Act. Prov. *Actes ou Procès Verbaux des Séances tenues par le Conseil de*  
Univ. Lov. *l'Université de Louvain*, publ. E REUSENS, 2 voll. Bruxelles,  
1903/19
- Hugues de *Actes des Princes-Evêques de Liège, Hugues de Pierrepont*  
Pierrepont *1200/29* ed. E. PONCELET, Bruxelles 1946
- AVB *Analecta Vaticano-Belgica. Documents relatifs aux anciens diocèses de Cambrai, Liège, Théroutanne et Tournai. Publiés par l'Institut Historique Belge de Rome. Rome/Paris 1906/44*
- Inv. Cam. U. BERLIERE, *Inventaire Analytique des Diversa Cameralia des Archives Vaticanes 1389—1500, au point de vue des anciens diocèses de Cambrai, Liège, Théroutanne et Tournai*. Rome 1906.
- Prov. Prael. IDEM, *Miscellanea Vaticana, concernant des anciens diocèses*  
1410/32 *de Cambrai, Liège, Théroutanne et Tournai. I. Provisiones Prae-*  
*latorum 1410/32.* (BGHB V, 443/51)
- Prov. Abb. IDEM, *Provisions Abbatiales 1519/1604* (BIHBR 1924, 159/66)  
1519/1604
- CANIVEZ vide *Statuta*  
*Capitula Provincialia Circariae Brabantiae 1620/56*, ed. J. E. STEYNEN in *Anal. Praem.* XVII (1941), XVIII (1942) et XX/XXI (1944/45) ed. textus
- Cart. Comt. *Cartulaire des Comtes de Hainaut de 1337 à 1436*, 6 voll. et  
Hain. index, ed. L. DEVILLERS, Bruxelles 1896
- Cart. St. *Cartulaire de l'Eglise St. Lambert de Liège*, 6 voll. edd. S. BOR-  
Lamb. MANS, E. SCHOOLMEESTERS et E. PONCELET, Bruxelles  
1893/1933
- Cart. St. *Cartulaire de l'Abbaye de St. Trond*, 2 voll. ed. Ch. PIOT,  
Trond Bruxellis 1870/74

<sup>81)</sup> Vide etiam H. PIRENNE, *Bibliographie de l'histoire de Belgique*, Bruxelles 1931.

- Chambre Ap. *La Chambre Apostolique et les Libri Annatarum de Martin Martin V.* U 1417/31, I, ed. F. BAIX (AVB XIV), Bruxelles/Rome 1947
- Chart. *Chartes du Chapitre de Ste. Waudru de Mons*, ed. L. DEVIL-Ste. Waudru LERS, 4 voll. Bruxelles 1899/1913
- J. d'Outre- *Chronique et Geste de Jean des Preis dit d'OUTREMEUSE* meuse *(Corps des Chroniques Liégeoises)* 6+1 voll. edd. S. BORMANS et A. BORGUET, Bruxelles 1864/87
- Chron. Liég. *Chroniques Liégeoises*, ed S. BALAU, 2. voll. Bruxelles 1913/31
- Corresp. *La Correspondance de Philippe II sur les Affaires des Pays Phil. II Bas*, 5 voll. ed. L. GACHARD, Bruxellis 1871/79, Index (1936) ed. P. LEFEVRE (De Ordine nostro vide III 26, IV 92)
- P. de CROO- *Cronicque contenant l'Estat ancien et moderne du Pays et NENDAEL Conté de Namur*, ed. C. de LIMMINGHE, 2 voll. Bruxellis 1878/79
- Dén. Foy. *Les Dénombrements de Foyers en Brabant du XIU au XUIe* Brab. siècle, ed. J. CUVELIER, Bruxelles 1913. (T. O. = Table Onomastique)
- De SMET vide *Recueil*
- H. DESSART, *La visite du diocèse de Liège par le Nonce A. Albergati* BCRH CXIO (1949)
- CH. DUVIVIER, *Actes et documents anciens interessant la Belgique*, Bruxelles 1898. Nouvelle Serie, ibidem 1903.
- OAT A. ERENS, *De Oorkonden der Abdij Tongerlo*, 2 voll. Bruxellis 1948/50
- J. de HEM- *Oeuvres de Jacques de HEMRICOURT*, edd. C de BORMAN RICOURT et A. BAYOT, 3 voll. Bruxelles 1910/31
- Hugues de PIERREPONT v. *Actes Inventaire* v. BERLIERE
- v. ISACKER-BERLIERE v. *Lettres Clément UI*
- Lettres de Benoit XII 1334/42* ed. A. FIERENS (AVB IV), Bruxelles 1910
- Lettres de Clément UI*, I (1342/46), edd. Ph. v. ISACKER et U. BERLIERE, (AVB VI), Rome/Bruxelles 1924.
- Lettres de Clément VII 1378/79 (Documents relatifs au Grand Schisme II, AVB XII)* ed. U. BERLIERE. Rome 1930. (Quae ad Ordinem nostrum attinent, vide *Anal. Praem.* VII, 1931, 215)
- Lettres de Jean XXII 1316/34*. 3 voll. ed. A. FAYEN (AVB II/III) Bruxelles 1910/12

- Matr. Univ. Lov. *Matricule de l'Université de Louvain. I 1426-53*, ed. E. REUSSENS, II 1453—85 ed. J. WILS (caret indice), Bruxelles 1903/46. (Quae ad Ordinem nostrum attinent vide I 272, et *Anal. Praem.* XXII 126/32)
- ODH A. MIRAEUS *Opera diplomatica et historica*. Secunda editio, proc. J. FOPPENS, Bruxellis 1723/48. Vol. I: *Codex donationum piarum, Diplomatum Belgicorum nova collectio, Notitia ecclesiarum Belgii, Donationum Belgii libri II, Diplomata Belgica*. Vol. II: *Auctaria, Supplementa et Indices*. Vol. III et IV: *Nova Collectio et Index Generalis*.
- J. MOLANUS, *Historiae Lovaniensium Libri XIU*, ed. p. De RAM, 2 voll. Bruxellis 1861 (De Ordine I 218/20)
- Obit. Groenendael  
Groenendael *L'obituaire de monastère de Groenendael*, ed. M. DYKMANS, Bruxelles 1940
- J. d'OUTREMEUSE vide *Chronique*  
PIOT vide *Cart. St. Trond*  
PONCELET vide *Actes*  
*Prov. Abb. sive Prael.* vide BERLIERE
- PURkN J. RAMACKERS, *Papsturkunden in den Niederlanden*, in: *Abh. d. Ges. d. Wissensch. zu Göttingen, Phil. Hist. Kl. 3 F. Nr. 8 u. 9* (*Rec. Anal. Praem.* X 1934 290/94)
- RCF *Recueil des Chroniques de Flandre (Corpus Chronicorum Flandriae)* 4 voll. Bruxelles 1837/65
- MHistProv B. de REIFFENBERG, *Monuments pour servir à l'histoire des provinces de Namur, de Hainaut et de Luxembourg*, 8 voll. Bruxelles 1844/54
- E. SCHOOLMEESTERS, *Les Régestes de Raoul de Zaehringen, Prince-Evêque de Liège*, BSHADL I (1881) 128/203
- CANIVEZ *Statuta Capitulum Generalium Ordinis Cisterciensis ab anno 1116 ad annum 1786* 8 voll. Lovanii 1933/41, ed. J. CANIVEZ
- Supplices de Clément VI 1342/52*, (AVB I) ed. U. BERLIERE, Rome 1906
- Supplices d'Innocent VI 1352/62* (AVB V), ed. U. BERLIERE, Rome 1911
- Supplices d'Urban V 1362/70* (AVB VII), ed. A. FIERENS, Rome 1914

# Monasticon Praemonstratense, Editio Prima, Tomus II, 1952

Doc. Prém. E. VALVEKENS, *Documents prémontrés du XIIe siècle*, I (*Anal. Praem.* XXIX, 1953; 161/237, II ibidem XXX, 1954). — Articuli eiusdem auctoris, quos supra in Bibliographia Generali pp. 9/10 citamus, pro circaria nostra maximi sunt momenti.

TCCD A. WAUTERS/S. BORMANS/J. HALKIN, *Table Chronologique des Chartes et Diplomes imprimés, concernant l'histoire de la Belgique*. 11 tomi in 14 voll. Bruxelles 1866/1946. (De Ordine in genere cf. indices sub voce „Prémontrés“)

## Fons nondum publicatus

In archivis omnium monasteriorum adsunt chronica nondum publicata interdum magni valoris. Ex quibus citamus tantum sequens:

A. v. BOTERDAEL, *Brabantia Praemonstratensis, sive abbatiarum huius circariae, item parthenaei de Keyzersbosch, nec non Collegii Praemonstratensis in Lovanio brevis et succincta descriptio. Continuata per F. A. van Hulsel (ex annis 1777/96)*. MS AAA Nr. 85.

